

Dorsum lateraque cyanea sunt, venter ac laterum pars alba, ac praeter duas pinnas, quae circa branchias sunt utrimque, unicam angustam et longam, et aliam parvam, duae aliae visuntur breves, altera a medio ven-

tre, altera vero a dorso in caudam usque procedens.

Squammosus non est, et tamen bono constatalimento. Mare illum ad me milit Australe; etsi quidam referant, in Septentrionali quoque reperiri.

De Ostracione Gesneri.

Heremb. H.
l. 1. c. 15.

Ostracioni affinis est *Catan*, qui piscis est quindecim pedes, cum in perfectam magnitudinem adolevit, longus, cortice tectus durissimo, laminis rhomboidis figurae, paucisque contexto, testaceae paene duritiei, nitidis, ac circa ilia elatis, qui vicem loricae praestare posset. Rostrum est praelongum et acutum, serrati dentes, et quaterno ordine dispositi, ac pinnae crassissimae binae

juxta branchias, ac juxta caudam unica. Vivit in lacubus aut magnis fluminibus provinciae Panucensis. Salubri constat nutrimento: sed cum parandus est, hic piscis, spoliatur corio. Vivit ex aliorum piscium canumve raptu, homines quoque interdum aggreditur.

Editur vero assus, non coctus aut elixus.

AD LIBRVM V.

De Phoca.

De Laet.
ad. Occi-
dent. l. 2. c. 6.

Phocarum generis est Wallrus seu Mors, animal amphibium, quod Vorstius apud Delaetium ita describit. Belluam hanc marinam vidi, magnitudine vituli, aut canis Britannici majoris. Phocae non dissimilem: capite rotundo, oculis bovillis, naribus depressis ac patulis, quos modo contrahebat, modo ducebat, aurium loco utrimque foramina; rictu oris rotundo nec ita vasto, superiore parte aut labro mystacem gestabat setis cartilagineis, crassis ac rigidis constantem. Inferior maxilla trigona erat, lingua crassa brevisque, atque os interius dentibus planis utrimque munitum, pedibus anterioribus posterioribusque latis, atque extrema corporis parte Phocam nostratam plane referebat.

Pedes anteriores antrorsum, posteriores retrorsum spectabant, cum ingrederetur.

Digitum quinqve membrana intersepiente distincti, eaque crassa. Posterioribus digitis ungues imposi-

ti, non prioribus, cauda plane carebat. Postica parte repebat magis, quam incedebat.

Cute crassa, coreacea, pilisque brevibus ac tenuibus obsita vestiebatur, colore cinereo. Grunnitum apri instar edebat, seu crocitabat voce gravi et valida. Repebat per aream extra aquam, quotidie per semihoram aut amplius dolio aqua pleno immittebant, ut se ibi oblectaret. Catulus erat, ut ferebant qui attulerant ex nova Zembla, decem hebdomadarum, dentes seu cornua exerta, ut adultiores, nondum habens, tubercula tamen in superiori labro percipiebantur, unde brevi proditura facile apparebat. Ferum et validum animal calebat ad tactum, valideque per nares spirabat.

Pulmentarium ex avena, miliove comedebat lente et suctu magis quam deglutendo, herumque gestantem cibum ac offerentem magno nisu ac grunnitu accedebat sequebaturque, nidore ejus allectus.